



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ: De falsis Prophetis. Matt. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

5. Hebd.
post
Trinit.

Dominica VIII. Post Trinitatem.

I. De falsis Prophetis. Matth. 7.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces! Suspicienda hinc primùm reuerenter inscrutabilis sapientia Dei, tot falsos doctores, & animarum peruersores, hæreticos, hypocritas, politicos, Sathanæ ministros tolerantis; electosque suos ab his, vti à mundi blanditijs, carnis illecebris, dæmonumque versutijs assiduè tentari permittentis: Vt sic exercentur, probentur, & gloriosius curentur. Deinde similiter collaudanda & amplectenda infinita bonitas eiusdem, tam benignè fideles suos præmonentis, ne externa specie boni apparentis se ab illis decipi sinant, sed larua detracta, quales intus sint, attendant, sicque eorum laqueos declinent, idque ex insatiabili maioris eorum in gratia & gloria profe-

perfectus desiderio. Reuerentia erga occulta iudicia Dei, feruor seriu in spiritu proficiendi, omnesque hostium technas constanter eludendi.

II. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ex eodem maioris nostri perfectus spiritalis desiderio seductores & lupos ouina pelle tectos cognoscendos monet ex fructibus, quos proferunt: cuiusmodi sunt conscientia inquietudo, liberior sacrarum legum & regularum transgressio, feruoris, pietatis, & disciplina imminutio, difficultatum in via perfectionis aggrauatio, propior in varias imperfectiones prolapsio, incōstantia in sanctæ vitæ proposito: simulq; inculcat ab omnibus fidelibus, veluti rationalibus arboribus, in domo Domini secus decursus aquarum gratiarum cœlestium plantatis, ni velint excidi, & in gehennam mitti, esse fructus diuino conspectu dignos proferendos; cuiusmodi sunt studium puritatis conscientia per expiationem peccatorum, mortificationem vitiorum, refrenationem passionum, victoriam tentationum;

profectus in solidis virtutibus per eorundem actuum internorum exteriorumque assiduam exercitationem: & intimæ cum Deo vnionis, incrementum per seriam actuum charitatis & resignationis frequentationem. Feruor seductores cauendi, & solidos perfectionis fructus progerminandi.

III. *Non omnia, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est.* Quod in simili citato declararat, nunc apertius inculcat, nempe vnicam ad regnum cœlorum viam esse exactam diuinæ voluntatis adimplerionem, quæ non est alia, quam maior sanctificatio nostra in via, maior glorificatio in patria, indeque, maior emergens cœlestis Patris æterna gloria. Feruor amplectendi & exequendi perfectissimè diuinam voluntatem, & proficendi in omni perfectione.